

Andreas Daniel Habichhorst Albrecht Joachim Krakevitz von

**Partis II. Illustriorum Isaiae Locorum Dissertatio Quarta De Lucifero Aurorae Filio,
Admirabiliter E Coelis Prolapso, Ex Isai. XIV. v. 12**

Rostochii: Weplingius, 1695


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740907662>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 8. April 1695

Habichhorst, Andr. Dan. /a



PARTIS II.
ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM
DISSERTATIO QVARTA ^{IV}
DE

LUCIFERO
AURORÆFILIO,
ADMIRABILITER
E COELIS PROLAPSO,

267

Ex ISAIAE, XIV. v. 12

QVAM

Auspice DEO-Homine & Ven. FCTe THEOL. consentiente;
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE
HABICHHORSTIO,

S. TH. DOCT. ejusdemq; PP. & Consiliario
Duc, Meckelb. Consistoriali, Collegiique Professorum
Ducalium nec non FCTis Theol. Seniore
hodieqve Decano,

Academicæ sententiarum collationi,
In illustriss. & perantiquæ Univ. Rostoch. AUDITORIO MAJORI
Add. XIII. April. A.C. M.DC. XCV. instituenda. sibi

ALBERTUS JOACH. Praefectus/
EQVES MEKELB. S. Th. Stud.

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

PARTIS II
ILLUSTRATIONUM 15 LINEARUM
DISSERTATIO QUARTA
DE

LUCIFERO

AURORAE FILIO

ADMR ABHILTR

E COLLIS PROCLAPSO

Auguste-Deo-Flamine

ROSTOCK
1774

AMBERTA MANUELLE

FABRICII HORSTIO

5. TO DOCT. QUADRUP. PP. & CONSIDERATIO

DE REBUS QUAE SONT IN COLLEGIIS PROPHETARUM

PROPHETARUM QUAE SONT IN COLLEGIIS

PROPHETARUM

PROPHETARUM

PROPHETARUM

PROPHETARUM

PROPHETARUM

PROPHETARUM

LOC. V. JSAL. XIV. V. 12.

De

LUCIFERO, aurore filio, admirabiliter e caelis prolapsus.



Vod capite XIII. orsus est Propheta vaticinium de stupendo proxime venturo Babelis excidio, id seqv. cap. XIV. in solatium Ecclesiae regnique Ihudae prosequitur: siquidem in illo cap. XIV post promissionem liberationis populi Dei, tanquam consequentis & causae simul finalis excidii illius Babylonici proxime venturi, quam v. 1. & 2. his promittit verbis; quoniam miserebitur

DISP.
IV.

Ibeya Jacobi &c. mox (2.) varias super illo excidio commotiones seqq. v. 3. usque ad 11. exponit: commotiones inquam, tum gaudii in terra, tum *ἔμχαρην αἰωνίαν* in inferno. Et gaudium quidem in terra, non tantum apud Ihudaeos à Babyloniis pressos v. 3. usq; ad 7. sed apud alios quoq; populos, Tropicè nominibus quercus & cedri signatos v. 8. oriturum, & vel captivis post liberationem declarandum praedicat; *ἔμχαρην αἰωνίαν* verò in inferno eleganti *προσποποαία* per occursum interni &c. v. 9. 10. 11. exponit, tandemque (3.) motibus his expositis & cessante inferni sermone, Propheta vaticinium de Babelis excidio eleganter *variaturum reassumit*; in qua repetitione duo praepimis Propheta agit; 1. compellat 2. loquentem introducit. Compellat tum ipsum Babelis Regem, tum hostes Babyloniae Regis (1.) Regem Babelis compellat sub nomine luciferi idque facit partim *admiranda quaestione de lapsu* ejus v. 12. partim *severa antecedentis superbiae exprobratione* v. 13. & 14. partim *justa irrisione* v. 15. 10. Deinde *hostes Babyloniae Regis compellat*, ut filios quoque ejus occidant v. 21. Denique *loquentem introducit* DEUM tam *comminantem* v. 22. 23. quam *jurantem* v. 24. seqq. Ad prius, sc. *compellatio*.

K

pellatio.

pellationem, s. allocutionem Regis Babylonix sub nomine *luciferi*, quam admirabundâ questione Propheta incipit, præfens pertinet locus, ita se habens: אִךְ נִפְלֵה מִשָּׁמַיִם הַיְלֵל בֶּן-שָׁרָר נִגְרָעָה: חוֹלֵשׁ עַל-גּוֹיִם: i.e. *quomodo cecidisti è cælis, lucifer, fili aurora? excisus es ad terram, qui debilitabas gentes.* Quem sanè locum, quia variis expositionibus est obnoxius, paulò pluribus consideraturi, tum *sensum* ejus genuinum, remotis expositionibus falsis, eruemus, tum *usum* quoque attingemus.

§. 2. Duo quidem præprimis, in *mirabunda hac questione de casu luciferi* tractanda occurrunt: Nimirum 1. *objectum* admirationis, 2. *incentivum* s. *causa* ejus, Et primò quidem circa *objectum* admirationis, quod est *casus* Regis Babylonici sub nomine *luciferi*, quæritur? *quis* ceciderit & quis adeo per *luciferum* intelligatur? 2. *unde* ceciderit? sc. è cælo s. è statu sublimiori, 3. *quousq;* ceciderit? sc. in terram s. statum longè humilimum. 4. *quomodo* ceciderit? sc. admirabiliter. Deinde v. *causa* admirationis super hoc casu duplex apparet, & continetur compellatione gemina, quia sc. (1) *lucifer filius aurora* erat (2) *gentes debilitaverat.* Nobis v. non vacat hîc prolixam de singulis commentationem adornare, sed præcipuam tantùm loci controversiam, circa *objectum* admirationis i. e. circa *lapsum luciferi* considerare, *quisnam* scil. *per cadentem hunc luciferum intelligatur?* paulò plenius percontari adlubescit.

§. 3. Circa illam, de *lucifero è cælis prolapsò*, quæstionem præcipuam, *quis* scil. *per luciferum hunc intelligatur*, duo discutere oportebit 1. *vocem* לְיָהוּא i. e. *luciferi*, quid sibi velit? 2. *rem ipsam*, quis per לְיָהוּא s. *luciferum* cadentem hic notetur? Ad *vocem* quod attinet, tum *Etymologia* ejus, tum *Homonymia* venit dilucidanda. Circa originem vocis לְיָהוּא quæritur, utrum sit *Imperativi* modi verbum, an v. *nomen*? Prius sanè nonnullis & præcipuè quidem *Aquila* & *Hieronymo* placet, existimantibus, illam esse *Imperativum* à Rad. לָלַח *ejulavit, ululavit*, quæ in Impe;

Imperativo Hiphil habet הִילֵל vel הִילִיל ejula: posterius legitur Zach. 12.2. Unde & Hieronymus: *In Ebraico, inquit, ut verbum exprimamus ad verbum, legitur: quomodo cecidisti de caelo? ulula, fili deluculi.* Neque Sanctius Jesuita interpretationem hanc planè rejecit, dum in Comment. Jfai. h. l. p. 162. de versione Aquilæ, quam Hieronymus non improbat, ita censet: *Neq. sensus (versionis Aquilæ) diversus, cum statim addatur id, quod lucifero sit necessariò tribuendum, ut quod filius sit auroræ, aut quod ortatur manè.* Hic ergo filius auroræ ululare jubetur. Nos v. cum aliis stellæ illam matutinæ nomen esse malumus à splendore claro & laudabili sic dictæ, ut sit à Rad. הִלֵּל gloriatu est, quod in Piel significat *laudavit, glorificavit; in Hiphil clarificavit, inclaruit:* unde in præced. c. 13. Jfai. v. 10. in Fut. Conjugationis Hiphil est הִלִּילוּ clarificabunt, quod etiam de sideribus ibi adhibetur, cum de tempore excidii Babylonici dicitur: *quia stellæ cælorum non clarificabunt lucem suam.* Adeoq; הִלֵּל vi originis notat *clarum, fulgentem, gloriosum,* qvalis certè stella est matutina, phosphorus & lucifer dicta. Favent nobis seqq. loci versiones: LXX. enim reddunt: $\delta \text{ } \omega\sigma\text{ } \phi\acute{o}\sigma\phi\acute{o}\varsigma \text{ } \delta \text{ } \mu\acute{\epsilon}\omega\iota \text{ } \alpha\upsilon\alpha\text{-}$ $\tau\acute{\epsilon}\lambda\lambda\omega\upsilon$ h. e. lucifer manè oriens: quos vulgatus sequitur ita vertens: *lucifer qui manè orietur.* Similiter Chaldeus paraphrastes: *quomodo dejectus es ab altitudine, qui fuisti splendidus in medio filiorum hominum, uti stella splendidissima (phosphorus) inter stellas.* Ita & Lutherus: *Wie bistu vom Himmel gefallen/ du schöner Morgenstern?* Neque obstat (1) quod litera, in voce הִלֵּל potius videatur indicare Radicem הִל , ejulavit, quam R. הִלֵּל laudavit, inclaruit: siquidem talis insertio quiescentis literæ *Jod* in aliis quoque nominibus reperitur, quorum Radix literam hanc non habet. Sic הִיָּדָר celestis, jubium, quod reperitur seq. c. 16. Jfai v. 9. & 10. à R. הִדָּר item הַיִּכָּל palatium, templum, à Radice הִכַּל (2) Neque obstat quod B. Varenus Comment in Jfai, part. 2. b. l. p. 30. (ubi brevibus hunc locum attingit) ad quæstiones: *quid הִלֵּל & quis*

Et quis ille כן-שחר הילל qui cælo excidisse dicitur? sic respondeat
 1. הילל tam à הילל cui ejulandi inest significatio, quàm ab
 הילל in significatione sive laudandi sive splendendi, atque
 ita derivationem vocis הילל à הילל ejulavit, non videat-
 tur improbare: ex ejusdem enim responsione ad
 quæstionem 2. à semet ipso propositam, quæ l. c. sequitur
 atque ita habet: de phosporo interpretes juxta literam, Et de Ba-
 bylonio, fulgidissimo hæterus toto orbe sidere, juxta sensum litera-
 lem. Utrumque rectè: pro illo facit הוילל filius aurora, pro hoc
 titulus Tyranni: debilitasti gentes: Ex hac, inquam, responsi-
 one ejus apparet, ipsum per הילל intelligere juxta literam
 luciferum, adeoque derivationem vocis הילל ab הילל præferre.
 Neque (3.) obstat, quod juxta Sanctum paulò antè citatum,
 sensus versionis, quæ vocem הילל pro Imperativo habet, &
 per ejula reddit, non sit diversus à nostra: Siquidem potius ad
 intentionem Spiritus S. respiciendum est, quæ ex accentuatione
 fontis apparet. Si enim sensus verborum hic foret: quomo-
 do cecidisti de cælo? ulula fili aurora, quem Aquila proposuit & Hi-
 eronymus non improbat; certè in voce משימ i. e. è cælis,
 quæ vocem quæstionis הילל proximè antecedit, accentus dis-
 tinctivus major, Sakephkaton, locum haberet, quia sensus abso-
 lutior sistitur in vocè משימ i. e. è cælis, quando hæc Aquilæ
 versio locum obtinet: quomodo cecidisti è cælis? ulula fili au-
 rora: quàm cum nostra versio retinetur: quomodo cecidisti
 de cælo, lucifer, fili aurora? Jam verò non major ille, sed mi-
 nor distinctivus Tipcha in voce משימ ante הילל apparet.
 Proinde non Aquilæ sed הילל LXX. versio, quæ & nostra est,
 tanquam genuina meritò antefertur.

S. 4. Est v. nomen illud *Luciferi*, quod per E-
 bræum הילל h. l. signatur, ἐκ τῶν πολλὰχῶς λεγομένων. Primò
 enim aliquam de stellis errantibus notat, quæ Venus appellari
 solet; Hæc enim si matutino ortu Solem antecedit, Phospho-
 rus

rus dicitur f. *Lucifer*, & cum periphrasi, (quam Propheta hic addit) *filius aurora*, quia cum aurora apparet vel ante auroram splendere solet & quia in auroræ sinu nascitur. *Filius a.* Ebraeis dicitur, quicquid in alicujus sinu atque complexu est, ut *insula filia maris*, *sagitta filia pharetrae*, vel quicquid ad aliud speciali modo refertur, ut *filius anni*, 1. Sam. 13. 1. *filius mortis* 2. Sam. 12. 5. Conf. *Wasmuthii* Gram. in Append. 2. de Idiotism. Synt. p. 286. Si a. vel peri solem sequitur *Hesperus* audit. (2.) etiam *Christo* nomen *Luciferi* in Scripturis tribui non dubitatur considerantibus præ ceteris locum 2. Pet. 1. 19. *donec dies illucescat* & $\Phi\omega\sigma\Phi\acute{o}\rho$ h. e. *lucifer oriatur in cordibus vestris*. Illa enim verba de Christo accipi contendunt Interpretes, sive intelligantur de tempore & die adventus Christi ad excindendos Judæos liberandosque Christianos, sive de incremento fidei vel clariori & perfectiori Christi & mysteriorum cognitione, per Evangelii verbum & Spiritus S. operationem in cordibus ipsorum oriente. Siquidem & alibi passim in sacro Codice Christus modo audit לְנוֹרָא h. e. *lumen gentium* Isai. 9. 2. c. 42. 6. 7. c. 49. 6. item $\Phi\acute{\omega}\varsigma \acute{\alpha}\iota\varsigma \delta\pi\omicron\kappa\acute{\alpha}\lambda\upsilon\varsigma\omega \epsilon\iota\theta\nu\acute{\omega}\nu$ Luc. 2. 32. modo *lumen verum* Joh. 1. 9. *Lumen mundi* Joh. 8. 12. *lumen mundi* $\mu\epsilon\theta' \eta\mu\acute{\omega}\nu$ Joh. 12. 35. modo *oriens ex altis*, apparens nobis in tenebris & umbra mortis sedentibus Luc. 1. 79. modo $\acute{\omicron} \acute{\alpha}\sigma\eta\rho \acute{\omicron} \lambda\alpha\mu\pi\epsilon\delta\acute{\omicron}\varsigma \tau\acute{\eta}\varsigma \pi\epsilon\tau\omega\iota\delta\acute{\omicron}\varsigma$, vel, ut alii legunt Codices, $\acute{\omicron}\rho\theta\epsilon\iota\mu\acute{\omicron}\delta\acute{\omicron}\varsigma$, ubi Luth. *Schöner Morgenstern* Apoc. 22. 16. (3.) Nomen *Luciferi* proprium est cujusdam *heretici*, quem *Augustinus* de hæres. ad Quod vult Deus n. 81. Episcopum vocat *Caralitanum*; *Ishidorus* v. l. 8. c. 5. Episcopum *Syrmiae* appellat, simulque de Sectatoribus ejus *Luciferianis* hæc addit: *à communione recesserunt & cum ipso Lucifero, autore suo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt.* (4.) quidam *antesignani* quoque *Diabolorum* hoc nomen esse putant, qui occasionem ex loco hoc *Isaiano* sumfisse videntur, in quo Prophetam de lapsu *Diaboli* primævo agere, vel ad eundem

undem alludere censent. Quod verò neque hic loci de Satana agatur, neque alibi in S. Codice Satanus hoc nomine insigniatur, infra ostendetur. Unde non probamus, qui sub titulo: *apostasia Luciferi cum angelis suis*, commentationes adornarunt. (s.) nomen *Luciferi* de *lucidissimo Regum orientis*, qui *Luciferi* instar fulsit, sed de celsitudine sua dejectus est, h. l. adhibetur, de qua sententia pluribus nunc despiciemus adeoque à voce ad rem ipsam procedemus.

S. 5. Res ipsa verò, de qua quæritur, scil. *quis per luciferum de caelis admirabiliter prolapsus* hic intelligatur? claritè apparebit, si primò *diversas mirèq; variantes* de lucifero sententias breviter examinemus, deinde *veram* rationibus etiam firmemus. Inter variantes v. sententias primo statim loco *Sanctius* Jesuita, atq; ex eo *D. Dn. Pfeifferus* in *dub. vex. h. l.* sententiam *Leonis Castri* refert, qui per *Eusebii* vestigia (uti quidem sibi pervasit) ductus, locum hunc ad *Christum crucifixum mortuumq;*, qui *Phosphorus* aliàs in citatis suprà locis vocatur, pertinere putavit, quasi *infernus subter conturbatus* (ceu præced. versu dicitur) h. e. interni principes & tenebrarum potestates, *occurerint Christo jam mortuo eiq; insultantes objecerint, quod nec ipse Lucifer Christus, sicut ceteri, mortis necessitatem effugerit.* At verò (1.) contextus huic sententiæ reclamatur, ceu inspectio docet (2.) neque *Eusebius* rectè inspectus *Leoni Castro* patrociniatur: postquam enim sequentia Christi patientis verba ex *Pl, 12.* allegasset: *ne recedas à me, quoniam afflictio prope adest, quoniam non est qui adjuvet*, statim de suo addit: *credibile autem est, vidisse infernas quoq; ac tartareas belluas, agrestes atq; formidabiles, de quibus Isaias ad eum, qui de caelo ceciderat, Luciferum sermonem intendens ita loquebatur: infernus subter te conturbatus est, in occursum adventus tui suscitati sunt tibi omnes gentes.* Ita *Eusebius*. Quis v. ex illis *Eusebii* verbis, rectius inspectis, cum *Leone Castro* colligeret, *Eusebium* hîc per

per Luciferum intellexisse Christum? *In contrarium v. communiter hunc locum interpretati sunt veteres & praesertim Gregorius Papa in Ezechiel. Origenes l. 1. $\omega\epsilon\iota$ $\delta\epsilon\chi\alpha\iota\upsilon$ c. 5. & l. 4. c. 2. Tertullianus l. 5. adv. Marcion. c. 11. & 17. Athanasius de pass. & cruce Domini, Ambrosius in Pf. 118. serm. 3. item Scholastici, qui certè quoniam Luc. X. 18. dicitur: *Vidi Satanam sicut fulgur de caelo cadentem*, locum hunc de *principis angelorum casu* accipiunt, adeoque per *luciferum* literaliter *Principem Diabolorum* intelligunt, qui olim de dignitate sua decidit, eumque propterea *Luciferum* ajunt nominatum, quod in maximo creatus sit splendore. Unde & vulgo Antesignanus Dæmœnum *Lucifer* audit. Sed nihil hîc in antecedentibus de lapsu principis Angelorum & judicio primi lapsus habetur, sed potius *Rex Babel* præced. v. 4. disertè nominatur & prædicata, quæ in sequentibus lucifero huic tribuuntur, in sensu literali ad Satanam trahi nequeunt, sed *Regi terreno* competunt, quæ lia sunt 1. *debilitatio gentium*, ex qua imperii Regum Babyloniae incrementum cœpit, 2. *sepultura denegatio*, 3. aliorum *suppressio*, 4. *memoria nepotum Babyloniorum deletio*. Conf. v. 12. 16. usque ad 21. Unde & *Calvinus* in Comment. h. l. p. 128. *Quod de Satana*, inquit, *hunc locum exposuerunt, id ignorantia factum est: Contextus enim satis docet, hæc de Rege Babyloniorum intelligenda esse*. Similiter *Wolffg. Musculus* Comment. h. l. p. 245. *Qui de lapsu Demonis exponunt, seriem vaticinii hujus discernunt, ut id intervertant, quod potissimum sibi Propheta in hoc Rege impio aliisq; consimilibus perstringendum sumisit. Scimus Satanum cecidisse, sed luciferum in scripturis alicubi vocatum non reperimus*. Ita ille. Neq; etiam Luc. 10. 18. de lapsu Principis angelorum agitur, quem cetroque locum sententiæ hujus Patroni rationis loco produciunt, uti id nexus verborum & scopus loci ostendunt. Et si vel maximè de illo ibi lapsu ageretur, nulla tamen argumento consequentia inesset. *Alii ergo**

(3.)

(3.) *allegorico* quidem vel etiam *mystico* sensu de *Satana* locum intelligunt, *literaliter* tamen sensu de *Rege Babylonis* accipiunt. Ita *Hieronymus*, *Cyrillus* & cum his *Augustinus* l. 3. de doctr. Christiana c. 37. &c. Quid? quod *Sanctius* credit, idem dicturos fuisse autores præcedentis sententiæ, si ea de re plura, aut non casu in illum incurrentes locum pauca dixissent; unum tamen excipit *Origenem* omnino id negantem. Similiter & *Pontificii*, referente *Pererio* in *Genesin* p. 758. non ignorant quidem, vaticinium hîc *secundum historie veritatem* de *infelici Regis Babylonici casu* in summam ex altissimo prosperitatis gradu miseriam, extare; *sensu* tamen *mystico* lapsum *Angeli luciferi* ex summa felicitate, in qua creatus fuerat, in maximam miseriam notari censent. — De qua *Pontificiorum* sententia iudicium *Hackspanii* ex *Notis* ejus *Theol. & Philol.* ad h. l. p. 583. audire placebit; *Cum*, inquit, *sensum hunc mysticum* volunt loco argumenti esse, vix est ut quisquam illis id largiatur. Et, quousque tandem possemus progredi, si, quod *Pererius* asserit, consensus *Patrum*, sensu *mystico* utentium, in argumentando declararet, illum fuisse principaliter à *Spiritu S.* intentum. Mittamus potius talia, & quæ *Historie veritas* aperit amplectamur neque ex figuris dogmata extorqueamus. Nonnulli (4.) ad *Regem* quidem *Babyloniae* locum referunt, sed tamen ad lapsum *Diaboli* hic alludi, vel *Babyloniae Regem* hic *conferri* cum *Satana* putant. Cujus sententiæ *Patroni* in hac compellatione subaudiunt *notam similitudinis* q. d. quomodo cecidisti de cælo, O *Rex Babylonis*, sicut *Lucifer* ille *filius auraræ*, *Princeps Demonum*, cujus superbiam implesti? Ita *Vatablus* in *notis* ad *Bibl.* & *Hector Pintus Lusitanus* ad h. l. uti & *B. Calovius* in *Bibl. ill.* h. l. Eadem sententia *Coccejo* quoque in *Comment. Jfai.* h. l. non incommoda videtur; nobis tamen haut vera censetur, cum *Satanas* nullibi in *Scripturis* *Lucifer* audiat & potius comparatio cum *stella hîc matutina* instituat, ceu *infr.* ex §. 8. apparebit. Præterea etiam (3.) dictus
jam

jam (s.) B. Calovius in Bibl. illustr. h. l. i. iudicat, sententiam de Diabolo admitti posse, si per accommodationem & analogiam fiat, quem sequitur Dn. D. Pfeiffer, in dub. vex. h. l. His prævit Brentius in Isai. h. l. ubi, cum veterum interpretationem de casu Diaboli *abusum* vocasset, addit, *verba cò passe accommodari*. Omnibus his (6) reclamat Grotius, dum per Luciferum hîc intelligit, non aliquem Babyloniz sed Assyriæ Regem, *Sancheribum*. Ceterum uti præced. 3. Disput. §. 8. commentum Grotii de tempore excidii Babelis, quod ad versum 22. cap. XIII. *inter tempora Sancheribi Assyrii & Nebucadnezaris Chaldei* statuebat, rejecimus: ita & hîc sententiam ejus de *Sancheribo* repudiamus. Siquidem in præced. v. 4. capitis hujus XIV. diserta *Regis Babylonii* mentio habetur, & continua textus cohærentia ejusdem Regis casum hîc designari sic satis commonstrant.

§. 6. Ex adductis ergo clarescit, juxta præstantiores hîc Interpretes per *Luciferum* literaliter Regem esse Babyloniz intelligendum. Sed novæ hîc disputationi campus patet, dum ulterius quæritur, *quisnam ille Rex fuerit, cui sub luciferi nomine tantum hîc casum Propheta denunciavit?* Communiter hîc Interpretes cum Hieronymo Regem hunc censent esse *Nebucadnezarem*. Cum enim de superbia ejus stultaque cogitatione, qua erectâ sibi statuâ divinos à suis honores depolcebat, ex Dan. cap. 3. constet, in eundem quoque *Nebucadnezarem* quadrare putant, quæ de affectatâ ejus divinitate hîc seqv. v. 13. & 14. dicuntur. Ceterum hæc sententia minimè consistit: Licet enim versus 13. & 14. affectatam Regis divinitatem cœdentes, ad *Nebucadnezarem* possint accommodari; reliqua tamen, quæ sequuntur, ad eundem minimè quadrant, ut quod (1) *lucifer hîc à sepulchro suo sit projectus, ne scil. in illo sepeliretur*, juxta v. 13. 19. 20. 21. siquidem *Nebucadnezar* gloriosâ morte succubuit regioque more sepultus est; De *Belfazere* v. *Nebucadnezaris* nepote ex Dan. 5. constat, quod noctu inter epulandum, captâ urbe Babel, interfectus atque, ut probabile est, in hostili confusione haut quaquam honorificæ, nedum regiz, is sepulturæ sit traditus; sed cum aliorum potius cæsorum cadaveribz miserè projectus, vel tumultuariè etiam sine cœremonia, sepultus. Equidem *Jhudæi* referunt, *Evilmerodachum* jussisse, ut *Nebucadnezaris* corpus è sepulchro effoderetur, quod primores regni non auderent nomen illi dare, nisi mortuum esse Patrem constaret. Quorsum & citata jam versus 19. verba: *sed eu projectus es מן קברך è sepulchro tuo*, trahere videntur; sed *Hieronymus*, ceteroqvi satis credulus, pro fabula istam habet relationem: siquidem & vox Ebrææ ex v. 19. jam citata, non reddenda: *de*, vel è *sepulchro suo*, quasi antea sepultus è se pulchro

pulchro sit extractus & projectus; sed Ebraismus hinc dandus, quo projectus est sepulchro idem est, quod projectus turpissimè, ut sepultus non sit, vel reddi sic potest: projectus à sepulchro, ne sc. in illo sepeliretur, cum particula *non* tantum per *è, de,* sed & per *à* usitatè reddatur. Nec (2.) ad *Nebucadnezarem* quadrat, quod *sine prole, regni hærede, decesserit*: omnes enim sanguinis Babylonici reliquæ, etiam imbelliores annisq; minores interficiendæ seq. 21. dicuntur; Nebucadnezar autem filium *Euilmerodachum* & nepotem *Belsazarem* habuit successores; *Belsazer* contra sine regni hærede occubuit: siquidem filii mortuo Patre regno haut sunt potiri, sed simul cum Parente regnoq; communi cæde sublatis: Darius n. Medus Belsazere occiso regnum accepit; Dan. 6.1 & filii ejus occisioni sunt preparati, jussu Dei, conf. seq. v. 21. Nec (3.) quod à *Medis Persisq;* subjugandus & cum prole interficiendus fuerit, ceu collatio seq. v. 21. (ubi DEUS Medos Persasq; alloquitur) & præced. v. 17. & 18. c. xiii. ostendit: quod non in Nebucadnezare, sed nepote ejus Belsazere impletum, ceu præced. Disp. 2. ad v. 3. & 17. cap. xiii. ostensum. Relinquitur ergo Luciferum hunc esse Belsazarem, fulgidissimum hætenus toto orbe sidus. Consentiant *Brennius* h. l. *Sambius* Comment. in Isai. h. l. p. 16. *Wolfg. Musculus* Comment. in Isai. ad v. 19. c. 14. p. 248. *B. Varcnius*, Comment. part. 2. p. 30. Concl. 17 & p. 32. concl. 21. *Dn. D. Pfeiffer*. in dub. vex. h. l. & c.

§. 7. Ab hac v. sententia de Rege *Babylonio* & quidem *Belsazere* recedunt *Calvinus* Comment. super Isai. ad v. 18. cap. XIV. p. 129. & *Coscejus* in Comment. h. l. nec non *Dn. D. Seb. Schmidius* in Comm. Isai. nuper edito p. 145. h. l. dum non de certo Rege *Babylonico*, sed potius de *Regno Babel* locum hunc interpretantur. Et quidem *Dn. Schmidii* verba sic habent: *Intelligendum est regnum Babel, quod tantum excellebat in er reliqua regna, quantum lucifer inter stellas, & p. seq. 146. ad seq. v. 18. ita commentatur Idem: Jhudei hunc locum (omnes Reges gentium jacent cum gloria) de Nebucadnezare accipiunt, sed per humiliam. D. Brennius longè melius d: Belsazare Rege ultimo, qui interfectus est, Dan. 5. Non tamen constat an Belsazer insepultus sit relictus: ideo fortè non tam de Regibus quàm de regnis accipienda hæc sunt, b. s. alia regna gentium dura etiam passa sunt, & imprimis à Babel ipsa; manserunt tamen regna, licet humiliata & in sepulchra quasi sua depressa; at regnum Babel planè eversum est. Ratio habetur v. 20. quia tota terra eversa est, populus excisus, & seq. v. 21. 22. multorum certè Patrum & posterorum mentio fit, non unius Regis. Hætenus ille. At verò cum Propheta satis clarè hinc de personis loquatur, nempe de Rege *Babel* v. 4. de viro v. 16. num hic vir ille? de Rege Regibus gentium cum gloria sepuleis contradistincto v. 18. de non sepeliendo*

cum aliis v. 20. adeoque de lucifero hoc prædicet, quæ personæ competunt, proinde malum proprietatem verborum retinere adeoque de persona Belfazeris, quàm de regno Babel locum interpretari, præsertim cum Dn. D. Schmidius sententiæ nobis adversæ particulam dubitandi fortè annectat. Nec movet nos (1) ejus ratio, quod non confiet, an Belfazer insepultus sit relictus: probabile enim est, in tanta confusione illius interfecti corpus cum aliorum tunc cætorum cadaveribus projectum (nam plerumq; occisi in bello non sepeliuntur, uti ipse Dn. D. Smidius p. 147. ad verba seq. v. 19. descendenti ad lapides foveæ sicut cadaver conculcatum, commentatur) vel tumultuariè etiam sine ceremonia, nedum regia esse pompa, sepultum, ceu B. Varenius in Comment. part. 2. p. 32. concl. 21. loquitur: id quod ex eodem quoque v. 18. patescit, tibi comparatio inter Regem Babel & alios gentium Reges instituitur: de aliis enim dicitur: omnes gentium Reges jacent cum gloria quisq; in domo sua. Ad quæ verba idem Dn. D. Smidius p. 146. comparatè, inquit, intelligenda; magis honestè quàm tu sepulti sunt. Unde patet, Regi huic Babylonico tantum honorificam regiamque denegari sepulturam, qualem Belfazeri in tanta confusione occiso, cum regnum simul à Medis Persisque eidem auferretur, accidisse quis affirmet? Nec movet nos (2) quod addit, seqv. v. 20. rationem sepulturæ hîc derogatæ haberi, quia tota terra eversa est, populus occisus &c. Nam (1) in textu non habetur: tota terra eversa est, populus occisus; sed terram tuam (O lucifer Rex) perdidisti, populum tuum occidisti (2) si vel maximè diceretur: quia tota terra eversa &c. qualis esset consequentia? Sed dices: Belfazer suam non perdidit terram nec populum occidit suum, Ergo Belfazer non est lucifer ille. Resp. Prophetæ sermonem esse de culpa Regis & eventu h. l. quia peccatis omnino tuis effecisti, ut terra tua everteretur, populusq; tuus extirparetur. Multò minus (3) sequens v. 21. sententiam destruit nostram & adversam adstruit, quod multorum ibi patrum & posterorum, non unius Regis fiat mentio. Qvalis enim denuo consequentia est? Alio enim sine patrum quoque mentio hîc habetur: non enim tantum propter unius parentis, dicti Belfazeris, sed & propter Patrum s. Avorum, e. c. Nebucadnezaris, delicta Belfazeri filisque ejus vira & regnum est ereptum.

§. 8. Cum igitur nulla nos necessitas cogat, ut locum hunc non de Rege sed regno Babel interpretemur, jam tandem, sed paucis adhuc, quærere libet, quo sensu vel tropo sermonis Rex ille dicatur lucifer, filius aurora? an quia cum Dæmonum principe, qui olim de dignitate, in qua creatus erat, decidit, ut ita sit argumentum ab exemplo? an v. quia cum stella matutina comparatur? Præsertim quidem Patribus quibusdam

dam, uti ex supra dictis apparuit, placuisse videtur. Sed verò cum Diabolus nusquam in scripturis nomine luciferi insigniatur, neque contextus permittat, ut locum hunc de Diaboli casu interpretemur, uti supra §. 5. ostensum est, frustra sanè sunt, qui collationem Regis Babel cum Dæmone hic comminiscuntur. Hinc *Chaldei* potius supr. §. 3. citati aliorumque nobis expositio arridet, qui metaphoram hic à *stella matutina* petitam dari contendunt: hæc enim comparatio non tantum profanis, sed & sacris Scriptoribus usitata legitur, quando rei pulcherrimæ splendorem exponunt. Sic Virgil. l. 8. *Æned. de Pallante:*

*Qualis ubi oceani perfusus lucifer unda
Exulit os sacrum cælo.*

Et Cantic. 6. 9. *Sponsa pulchritudo aurora* astrisque, & Syr. 50. 6. *Simon* summus sacerdos *stellæ matutinæ* comparantur &c.

§. 9. De sensu loci, ut opinor, sic satis. *Abusus* quoque ejus ex illis jam conspectus est, quæ occasione Veterum sententiæ, de lapsu Diaboli primo & de nomine luciferi ex h. l. principi Diabolorum perperam tributo, sunt deducta. Ad usum v. loci respicientibus incidit locus ferè parrallelus Apoc. 9. 1 *vidi stellam ex cælo lapsam in terram*, cujus respectu casum luciferi Regis Babylonici, sideris illius politici, ad casum sideris Ecclesiastici, *Papæ Romani*, accommodamus; quod non minus licebit nobis, quàm aliis, quibus eundem Regis lapsum ad Diaboli casum (uti supra §. 5. notatum est) accommodare placet. Unde nos admirabunda hic quæstione ad Papam directa exclamamus: *quomodo cecidisti de cælis in terram lucifer Romane?* Apocalypsis enim l. c. ad hunc de casu *Luciferi* Babylonici locum alluisse videtur, ita ut monere nos videatur, ne in isto Regis Babylonici casu subsistamus, sed illud hic sidus recogitemus, quod non modò cum Rege Babelis (juxta sequentes proximè versus 13. & 14.) *in corde suo dixit: in cælum super astra DEI exaltabo solium meum, similis ero altissimo; sed & ex cælo in terram cadere visum est.* Sidus enim illud Apocalypsicum quod c. 9. 1. cadere ex cælo visum, est Pseudopropheta, in Babylone spiritali regnans, & notabilem præ cæteris sideribus in Cælo Ecclesiastico locum tribuens, à nullo judicari se patiens, nova Ecclesiæ dogmata obtrudens, Christi vicarium se prætendens & super omnia se efferens, Cónf. 2. Thess. 2. 4. Cum enim hæc autoritas ejus illegitima Ministerio Lutheri sit detecta magnamque partem jam amissa, meritò hæc in Ecclesia vox resonuithodieque illam resonare fas est: *Quomodo cecidisti de Cælo in terram, Lucifer Romane?*

COROLLARIA RESPONDENTIS.

1. **Q**uamvis per Luciferum de Cœlo prolapsum ap. J/ai. XII. perperam à Veteribus intelligatur Diabolorum antesignanus; hujus tamen occasione nonnulla de lapsu Angelorum & cognata annexere Corollaria licebit.
2. Angeli mali non sunt à Deo creati. vid. Ep. Judæ v. 6. &c.
3. Quo tempore v. lapsi sint angeli, aut quodnam primum illorum peccatum, ex S. Sript. apodicticè concludere non licet.
4. Somnium v. illud quorundam Patrum, quod angeli quidam libidinibus sese inquinaverint, verè somnium est. Ex quo fundamento etiam liber Enochii suppositivus judicatur.
5. Diabolum in malo jam adeo obfirmatum esse, ut neq. possit neq. velit resuscitare, ex Scriptura S. rectè colligitur.
6. Magna est inter eruditos contentio, utrum Demones generare possint homines? Affirmant id ex Pontificiis & Scholasticis non pauci; quibus non suffragor.
7. De futurorum prædictione, quæ non rarò à malis editur spiritibus, statuo, quod illi quidem per speciem quandam ex causis necessariè connexis notitiam habeant; inò interdum revelatam, habitualem v. nullam.
8. Exemplum mulieris, Samuelem incantationibus suis in vitam revocantis 1. Sam. XXVIII. 13. pro sententia Necromanticorum planè non pugnat: ille enim verus Samuel non fuit.

AD

Generosum & præclarè doctum DN. KRAKEVIZIUM,
De LUCIFERO è cœlis prolapsò ex J/ai 14. 12. publ.
Disputaturum.

KRAKEVITSIUS:

Anagr. Z resoi in TS.

(1.) TU CIVIS SACER †

Nobilis ac Civis simul, ast Academicus audis
Et sacer. à studio nobiliore, sacro.
Altiùs haut poteras, generoso sanguine cretus,
Surgere, quàm Civem Te profitendo sacrum.
Hoc rutilas studio, stellas uti Lucifer inter,
Hoc in Corde Tuo lucifer * ortus agit; Hocce

Hocce *creas* Tibi fulgidius nomenqve deusqve,
Quam si juridicum fors sequerere forum:
Hoc *arces* mala, quæ Juvenes quamplurima turbant,
Arcendog, mali fulmine porro *cares*.
Gratulor egregiis mytheria nominis ista,
Et precor, ut *Cæli* postea *Cives* oves.
† *Sacer*: Anagg. *creas, arces, cares*. * 2. Pet. 1. 19.

(2.) CURATIUS CIES.

Bella novenarum studiis inimica sororum
Spernis, quæ rutilo sanguine sæpe madent;
Castra tamen meliora subis ac arma capeffis:
Bella magis DOMINI Religioqve placent.
Ista *cies*, sed non obiter; *curatius* instas,
Sæpeque conatûs das documenta Tui.
Pergito Te generosum *curatumqve* probare,
Sic mihi tergemina nobilitate viges.

(3.) VITIS ACCURES.

Dum *vitis* generosa mihi, *Krakevize*, vocaris,
Cures, nos fructu nobiliore frui.

LMq.


A. D. HABICHHORST, D.

Vix generosa magis generosi pectoris edes
Signa, Prophetarum quam loca quando doces.
Gratulor hos animos! PROAVI vestigia serves,
Ut decores sacrum Nobilitate Chorum.

J. N. QVISTORPIUS, D.

Ich schreibe Dir mit Lust und sonderem Vergnügen/
Mein wehrteschätzter Freund/diſ was ich schreiben sol/
Weil sich mit deinem Fleiſch und Preiſſ es so muſſ ſügen/
Daſ jederman von Dir/ſkund iſt Rühmens-voll/
Ich rühme Wehrteſter Dein vieles Fleiſch Beginnen
Daſ auch schon oft daheim bey mir sich hat erängt
Indem dein kluges Wit- und ſcharffes Wieder-Sinnen
Nebſt andern mauche Stund von deinem Fleiſch gezeugt.
Nun diſ er freue dich/ du haſt es wol getroffen/
Bey so geſtaltem Fleiſch/ bleibt nicht dein Ruhm zurück/
Es ſtehn auch deiner Müh die Ehren- Pforten offen/
Mein Krakviz fahre fort/ ich wünsch in allen Glück.
C. A. von Bülow.

3(0)





COROLLARIA RESPONDENTIA

1. **Q**uamvis per Luciferum de Caelo prolapsus; huius tamen occasione nonnulla de lapsu Angelata annexere Corollaria licebit.
2. Angeli mali non sunt à Deo creati. vid. Ep. Jud.
3. Quo tempore v. lapsi sint angeli, aut quodnam peccatum, ex S. Script. apodicticè concludere non licet.
4. Somnium v. illud quorundam Patrum, quod ab idinibus sese inquinaverint, verè somnium est. Ex etiam liber Enochii suppositivus iudicatur.
5. Diabolus in malo jam à deo obfirmatum esse, veli resuscitare, ex Scriptura S. rectè colligitur.
6. Magna est inter eruditos contentio, utrum rare possint homines? Affirmant id ex Pontificis & pauci; quibus non suffragor.
7. De futurorum prædictione, quæ non raro à magis, statuo, quod illi quidem per speciem quandam ex sonnexis notitiam habeant; imò interdum re tualem v. nullam.
8. Exemplum mulieris, Samuelem incantationibus revocantis 1. Sam. XXVIII. 13. pro sententia Necrom non pugnat: ille enim verus Samuel non fuit.

AD

Generosum & præclarè doctum DN. KRAKEVITSKIUS
De LUCIFERO è cælis prolapsò ex Jsaï 14

Disputaturum.

KRAKEVITSKIUS:

Anagr. Z resoi in TS.

(1.) TU CIVIS SACER. †

Nobilis ac Civis simul, ac Academicus atque
Et sacer à studio nobiliore, sacro.
Altius haut poteras, generoso sanguine
Surgere, quam Civem Te profitemens
Hoc rutilas studio, stellas uti Lucifer inter,
Hoc in Corde Tuo Lucifer * ortus agit;

